

capituli, ut non admittantur canonici, nisi probata nobilitate: quia est contra c. *Venerabilis* de *Præbend.* allegata illa ratione: « Non generis sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciunt dignumque servitorem. — Nec est acceptio personarum apud DEUM, et vix ad culmina dignitatum (prædum præbendas) viri eminentis scientiæ valent reperiri. » Abbas, cit. c. *Venerabilis*. n. 4. et Barbosa, ibid. n. 5. de *Præbend.*, allegans plures alios. Pirhing eod. tit. num. 111. line num. 113. excipiens illas ecclesias in quibus ex primæva foundatione conditio nobilitatis exigitur. Adde: Vel nisi tale statutum a Sede apostolica specialiter fuerit confirmatum, prout in conclusione jam limitatur.

Uterius non valet statutum, ut capiens possessionem canonicatus, aut beneficii, tenetur aliquid solvere convertendum in commodum aliorum canonicorum, beneficiatorum, etc. Hoc enim, tanquam simoniacum, reprobatur, can. *Si quis præbendas*. 1. q. 3. etc. Jacobus, 44. de *Simonia*. ubi Abbas num. 2; Jo. Andreas, n. 4; Felinus, et alii; card. Tuschus lit. S. concl. 352, n. 12; Garcias, part. VIII, de *Beneficiis*, cap. 1, num. 83. et 84, allegans declarationem sac. congregationis in una Leodiensi, juncto concilio Trident., sess. 24. cap. XIV. de *Ref. m.* Tacentur plures consimiles casus, de quibus dicitur commodius alibi, ac præsertim tit. *De his quæ fiunt a majori parte capituli*.

87. *Potest tamen capitulum condere statuta de his, quæ tangunt sua negotia, vel proprios capitulares.* — Resp. III. Potest nihilominus capitulum, etiam vivente episcopo, condere aliqua statuta de his, quæ tangunt particularia ipsius capituli negotia, aut proprios capitulares concernunt circa rectam ordinationem Ecclesiæ, sive capituli: ut puta, quod certo modo quotidianas obventiones distribuant; quod tali ordine, aut ad pulsum hujus vel illius campanæ, canonici ad eorum vel capitulum vocentur; vel determinatis temporibus, etiam non vocati in capitulo compareant, et hujusmodi. Talia, inquam, statuta ex causis rationabilibus potest capitulum facere, et concurrentibus cæteris conditionibus requisitis sunt valida, absque alio expresso consensu episcopi. Ita Glossa in c. *Constitutionem*. §. *Statutum. de Verb. signif.*, n. 6; Abbas c. *Cum omnes*, n. 4; et Felinus ibid. n. 10, de *Constit.*; Barbosa, de *Canonicis*, cap. XLII. n. 16. post Rotam in Illerden statuti, 19. maii, 1597. coram R. P. D. Cordu-

ba; et in Paduana, sedilium, 26. januarii 1618. coram bon. mem. card. Sacrato, et alios communiter. Idque desumitur ex c. *Cum accessissent*. 8. h. t. etc. *Significatum*. 11. de *Præbend.*, ubi capitulum reperitur quædam talia fecisse statuta, quæ non solum haud rejecta fuerunt ex defectu potestatis ea ferendi, sed etiam per Papam approbata. Accedit textus in c. *Ex litteris*. 11. h. t. ubi istud ipsum admittitur in inferioribus universitatibus: juncta l. 1. § 2. ff. *Quod cujusque universit. nomin.*, et l. ult. C. de *Jurisdic. omn. judic.*

88. *Ad horum tamen valorem requiruntur quatuor conditiones: et quæ?* — Additur notanter, « et concurrentibus cæteris conditionibus requisitis sunt valida. » Quia, ut notat Barbosa cit. c. XLII, de *Canonicis*, n. 18. et Fermosinus tract. III. de *Potestate capituli*, can. 4, n. 17, quatuor potissimum requiruntur conditiones, ut valeat conditum a capitulo statutum. — I. Ut capitulares consentiant in tale statutum, non quovis in loco, sed in domo seu conclavi ad capitula celebranda deputato, canonicis non quomodocumque, vel singulariter, sed per modum communitatis astantibus. — II. Quod duæ saltem partes capitularium adsint: ut L. III et IV. ff. *Quod cujus universit. nom.* — III. Ut omnes fuerint vocati: alioquin unus contemptus, seu non vocatus, cum vocari debuisset, posset reclamare, actumque irritare, nisi ob bonum pacis postea consentire voluerit, arg. c. *Bonæ memoriæ*. 36. de *Elect.* cum similibus: ac notat Abbas in cap. 1. num. fin. *De his quæ fiunt a majori part. capit.* — IV. Ut major, et sanior pars illorum, qui adsunt, Statuto consentiat. Atque hujusmodi conditiones pariter requiruntur, quando capitulares volunt statutum a se conditum revocare. Barbosa. cap. xxxviii. de *Canonicis*, n. 16, post Rotam in Hispaniarum mandati, 15 decemb. 1625. coram R. D. Coccino.

89. *Capitulum cathedrale, Sede vacante, potest facere statuta alligantia totam diocesim, etiam in tempus futuri episcopi, donec revocentur.* — Resp. IV. Loquendo tandem de capitulo Sede vacante, potest illud facere quasdam constitutiones obligantes totam diocesim, etiam in tempus futuri episcopi, donec hic, vel ejus successor easdem revocaverit. Ita Federicus de Senis, consil. 16. ubi hoc ad longum deducit, loquens de statuto pertinente ad correctionem criminum, et reformationem morum, quod fecerat capitulum cathedrale

drale Sede vacante. Idem tenet Abbas c. *Cum olim*. n. 2, § *Septimo dubitatur.*, de *Majorit. et obed.*; Felinus in c. *Cum omnes*, n. 10. h. t.; Fermosinus, tract. I. de *Potestate capituli*, quæst. 17, num. 1; Fagnanus in cit. c. *Cum olim*. n. 57. et Layman, ibid. n. 6, de *Majorit. et obed.* et Castro Palao, part. I. tract. III. disp. 1. punct. 23, num. 22, citans alios. Ratio est, quia capitulum Sede vacante succedit episcopo in his, quæ sunt jurisdictionis. c. *Cum olim*. 14. de *Majorit. et obed.* et cap. un. eod. in 6. cum concordantiis; ac tradit Glossa magna in Clem. un. de *Rerum permut.* Sed potestas condendi leges pertinet ad potestatem jurisdictionis. Ergo accedit, quod capitulum Sede vacante succedat episcopo in administratione temporalium simulque spiritualium rerum totius diocesis, c. *Si episcopus*. 3. de *Supplend. neglig. prælat.*, in 6, cum similibus: ergo et in potestate ferendi leges, correctionem criminum, ac morum reformationem deservientes; cum hoc concernat administrationem diocesis in spiritualibus.

90. *Solvitur notabilis objectio.* — Nec obstat, si dicatur: Capitulum succedit in jurisdictione dumtaxat ad tempus, et exercet jurisdictionem ejus solummodo in defectum; ergo ejus statuta illico evanescent, atque obligare cessant substituto episcopo; ne alioquin capitulum videretur jurisdictionem exercere in tempus successoris. Resp. enim neg. consequent. cum sua probatione: nam etiam proconsul exercet jurisdictionem solummodo usque in adventum successoris L. *Memnisse*, ff. de *Offic. proconsul.* et tamen potest esse perpetuum, quod ab eo fit, arg. L. 1, § fin., ff. de *Offic. præfecti urb.* et amplius probatur ex cap. ult. de *Offic. legati*. Quia ex quo lex illa est legitime facta, durat in perpetuum. c. *Factum legitime*, de *Reg. jur.* in 6, nisi per successorem (cujus manus prædecessor ligare non poterat, cum non habeat par in parem imperium, c. *Innotuit de Elect.*) denuo revocetur. Neque urget probatio consequentiæ: si enim quid probaret, pariter sequeretur, quod nec statutum episcopi, aut legati, daret in tempus successoris, ne alioquin prædecessor censeatur jurisdictionem exercere in ejus tempus. Sufficit quippe ad hoc incommodum evitandum, quod successor, si voluerit, atque expedire judicaverit, possit denuo legem a prædecessore suo latam revocare. Federicus de Senis cit., consil. 16.

91. *Collegium cardinalium, Sede papali vacante, non potest condere leges; et cur secus in capitulo cathedrali Sede vacante?* — Dices: Collegium cardinalium, Sede papali vacante, nullam habet potestatem condendi leges; ergo multominus capitulum cathedrale vacante Sede. Antecedens patet ex c. *Ubi periculum*. § *Idem quoque. de Elect.* in 6. et Clem. *Ne Romani*. § 1. eod. ubi expresse cavetur, quod Sede vacante cætus cardinalium jurisdictionem papalem non exerceat, nec aliud statuere valeat, nisi quod pro electione Romani pontificis, aut pro defensione Ecclesiæ (si aliquid grande, et evidens periculum huic immineret) necessarium fuerit. Resp. negando consequentiam, nam illud est peculiare in casu Sedis papalis vacantis, ne forsitan Romani pontificis electionem diutius differri, vel prolongari contingeret, si cætus cardinalium Sede vacante posset exercere jurisdictionem papalem, prout liquet ex cit. cap. Secus est Sede episcopali vacante, ubi pro electione successoris jam est jure definitum spatium trium mensium, et quandoque diutius tardat confirmatio apostolica, ut proinde pro reformatione morum, criminumque invalescentium repressione, merito possit esse locus novæ legi per capitulum sancientiæ.

92. *Potest etiam hoc tollere leges ab antecessoribus latas.* — Quod si urgeas: Ergo pariter capitulum Sede vacante poterit tollere leges ab antecessoribus episcopis jam latas, contra illud cap. 1. *Ne Sede vacante aliquid innovetur*. Resp. conced. seq. præsertim rationabili, gravique causa talem legis revocationem suadente: siquidem hoc ipsum pertinet ad potestatem jurisdictionis, quæ Sede vacante transfertur in capitulum. Et hoc ulterius confirmat Federicus cit. Consil. 16, ex eo, quia speciale est illud, quod statutum habetur in d. Clem. *Ne Romani, De Elect.* de collegio cardinalium, ut Sede vacante non possit modificare, aut corrigere constitutiones pontificias, nec exercere jurisdictionem (demptis casibus ibidem specialiter expressis) ad Romanum pontificem pertinentem: ergo in aliis Ecclesiis est generale, quod possit exercere jurisdictionem defuncti episcopi; et consequenter etiam leges jam conditas suadente communi bono revocare.

93. *Solvitur instantia ex cap. 1. Ne Sede vacante, etc., desumpta.* — Nec hoc repugnat d. cap. 1. *Ne Sede vacante*, etc. Solum enim ibidem statuitur, ut Sede vacante non immute-

tur status ejus aliquid innovando in pertinentibus ad ecclesiam, seu dignitatem episcopalem; non vero prohibetur capitulum, quominus utatur jurisdictione ad ipsum devoluta in condendis legibus, vel jam conditis juxta rerum, temporumque exigentiam denuo revocandis.

94. *Ecclesie collegiate inferiores possunt etiam facere leges proprium statum concernentes.* — Queritur III. An ecclesie collegiate inferiores, aliaque universitates, et societates, possint facere leges proprium statum concernentes? Resp. affirmative: dummodo ejusmodi constitutiones fiant in rebus levioris momenti, non autem in gravioribus, utpote in quibus etiam consensus superioris requiritur. Et quidem de inferioribus collegiatis ecclesiis hoc tradunt Abbas in c. *Cum omnes*, n. 4. h. t. juncta additione in lit. F. hoc explicante de iis statutis, quæ non concernunt statum Ecclesie, sed modum vivendi: et Felinus ibidem n. 11. citans Innocentium, Imolam, aliosque concludentes, quod in his, in quibus habent Ecclesie administrationem, possint inferiores collegiate eodem modo statuere, sive quasdam constitutiones facere, sicut capitulum ecclesie cathedralis; idque tum per jura superius allegata, tum amplius per ea, quæ proxime dicentur de aliis universitatibus. Quanquam, quia episcopus est generalis sponsus omnium ecclesiarum suæ diocesis, in statuendis negotiis gravioribus requiratur etiam consensus episcopi, utpote cujus providentia generaliter quævis subjecta ecclesia est gubernanda, can. *Regenda*, 10, q. 1. Favet in simili textus L. ult. C. de *Jurisdic. omn. judic.*

95. *Sicut et alia universitates, collegia, et societates.* — Altera pars, loquendo itidem de rebus levioribus, proprium cujusque universitatis, collegii, sive societatis statum concernentibus, probatur ex c. *Ex litteris*, 11, h. t. ubi universitas magistrorum artium liberalium Parisiensium, juramento interposito, quodpiam statutum circa res universitatis fecisse legitur, quod transiit ad successores, atque a Papa pro valido agnitum fuit. Concordat L. 1, § 2. ff. *Quod cujusque universitat. nom.*, ubi illi, quibus permissum est habere corpus collegii (hoc enim non passim omnibus habere conceditur) « ad exemplum reipublicæ habere res communes dicuntur: » atqui reipublica ita res habet communes, ut pro bono earum, totiusque

reipublicæ statu, possit leges convenientes condere, l. *Omnes populi*, ff. de *Just. et jur.*; ergo et illis hoc competit. Atque hoc ipsum probat recepta praxis, et consuetudo, non solum ecclesiarum collegiatarum, sed etiam aliarum communitatum, sive universitatum, quæ solent quasdam ordinationes, seu leges in perpetuum duraturas facere pro bono statu suo.

96. *Refertur contraria quorundam opinio.* — Fatendum tamen non desse doctores, qui velint, dictis inferioribus communitatibus non aliter adesse potestatem condendi leges statum suum respicientes, nisi quatenus eisdem concessa est jurisdictio a supremo principe, v. g. a Papa, vel dicta potestas ipsis quæsita fuit consuetudine; alioquin autem (inquiunt) ordinationes, seu statuta a talibus communitatibus facta tantum valent ex vi juramenti, vel pacti, super eorum observatione a singulis illius communitatis membris præstiti. Zæsius h. t. num. 28; Castro Palao, part. I. tract. III, disp. 1, punct. 23, post Suarez lib. IV, de *Legib.* cap. VI, num. 19. et Bonacinam disp. 1, q. 1, p. 2, num. 31. Et quidem tale pactum, sive promissio de observandis statutis, vel etiam juramentum plerumque solet intervenire, quare pariter in d. c. *Ex litteris* 11. h. t. intervenerat: idque vel ad majus robur ejusmodi statutorum, vel etiam, ut si talibus communitatibus revera deficeret potestas legislativa, nihilominus ordinationes illæ obligarent subditos, sive ad pœnam, si forent mere pœnales, sive etiam ad culpam, vi pacti, vel juramenti de illis observandis præstiti.

97. *Etiam ordines religiosi condunt statuta ad successores transeuntia.* — Queritur IV. An ordines religiosi possint condere leges, et statuta ad successores transeuntia? Resp. affirmative; dummodo id fiat juxta receptas consuetudines, privilegia et præscriptum regulæ, aut particularium constitutionum, quæ vigent in qualibet per Sedem apostolicam approbata religione. Ex quibus pariter colligendum erit, penes quos resideat ejusmodi potestas condendi statuta in perpetuum duratura: nam quoad hoc aliter, et aliter provisum habetur in particularibus religionibus, prout cujuslibet statui, atque fini speciali, magis in Domino visum fuit.

98. *Pro toto ordine fratrum minorum statuta condit capitulum generale: et quid possit congregatio generalis intermedia?* — Et quidem loquendo de ordine nostro seraphico, sive

fratrum minorum, per totum orbem terrarum quaquaversum amplissime diffuso, potestas condendi statuta vim legis habentia, ac totum ordinem in perpetuum obstringentia, residet penes capitulum generale totius ordinis: nec pro majori eorundem statutorum firmitate, et auctoritate, solet plerumque humiliter peti, et accedere confirmatio apostolica. At vero congregatio generalis intermedia non potest statuta pro toto ordine condere: quinimo, cum imposterum ad eam soli Patres diffinitorii generalis illius familiæ, ex qua commissarius generalis eligendus est, convenire teneantur, atque ad evitandas graves et inutiles expensas, aliaque incommoda, ad ipsam non amplius accedere debeant cæteri Patres provinciales, et custodes dictæ familiæ: prout novissime in capitulo generali, anno 1676 Romæ celebrato, salubriter ordinatum, ipsumque statutum ab Innocentio XI, per speciale Breve, quod incipit, *Militantis Ecclesie regimini*, datum die 22 novembris 1679. confirmatum fuit. Hinc pariter ibidem expresse extitit declaratum, « quod quidem in congregatione præfata modo celebranda, lites per sententiam dirimi, declarationes dubiarum constitutionum fieri, et decreta per triennium subsequens duratura edi valeant; leges autem, seu statuta, aut constitutiones in perpetuum duraturæ concedi non poterunt, nec antiquæ abrogari. »

99. *Item capitulum, et congregatio provincialis?* — Cæterum potestas condendi statuta vim legis habentia, sed solam provinciam propriam astringentia, residet penes capitulum provinciale; utpote ad quod præsidente ministro generali, aut ejusdem commissario visitatore generali, tota provincia in suis capitibus congregatur, sicque obligationem novæ legis ultro in se suscipere valet. Verum congregatio provincialis intermedia, ad quam dumtaxat Patres de ven. diffinitorio conveniunt, possunt quidem facere quasdam ordinationes novas ad bonum regimen provincie pertinentes, suoque tempore duraturas; non tamen statuta vim legis obtinentia, et in perpetuum duratura, nisi postmodum ultro per provinciam acceptentur, et legis instar custodiantur: prout servata proportione liquet ex dictis de congregatione generali intermedia. Quod si vero superiores particulares extra capitulum quidpiam ordinaverint, seu observari mandaverint, illud obtinet vim præcepti, non legis in perpetuum duraturæ.

100. *Regimen est triplex, monarchicum, aristocraticum, et democraticum.* — Queritur V. Penes quos sit potestas condendi leges civiles? Resp. hic esse distinguendum inter triplex regimen, videlicet, monarchicum, aristocraticum, et democraticum. Et quidem in hoc postremo, seu in democratia (id est, principatu populi, qualis olim erat apud Athenienses, imo quondam apud Romanos) patet, quod potestas faciendi leges consistat penes ipsummet populum, § *Lex est. Rom. de Jure nat. gent. civ. et can.* 1. dist. 2.

101. *In aristocratico?* — In regimine aristocratico (seu aristocratia, hoc est, optimatum principatu, ubi videlicet optimates rempublicam tractant, prout hodie apud Venetos, et quondam fiebat etiam apud Romanos) sic potestas statuendi leges pro communi bono reipublicæ residet penes prædictos optimates: prout liquet ex can. 3, dist. 2. et § *Senatus consultum*, instit. eod. ubi hac de causa senatus-consulta prodixisse referuntur.

102. *Et in monarchico?* Tandem in regimine monarchico (seu in monarchia, quæ est unius principatus) potestas ferendi leges consistit penes ipsummet monarcham: ut est imperator pro toto imperio Romano, utpote in quem lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus omne suum imperium, et potestatem contulit: ac proinde, quod imperator per epistolam, vel alias a populo fieri decrevit, vel edicto præcepit, legem esse, constat ex l. 1. ff. de *Constitut. princip.* Nam, ut ibidem de tali monarcha generaliter præmittitur, « quod principi placuit, legis habet vigorem. »

103. *Potestas condendi leges in imperatore.* — Qua de causa imperator, l. 2. § *Sed neque.* C. de *Vetere jure enucleand.* dum codicem per Trebonianum, et alios præclarissimos viros denuo emendatum confirmat, eidemque robur legis attribuit: recte rationem hujus reddit generalem illis verbis: « Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis omnia ea impertitur auctoritas. » Sive, ut Glossa cap. ult. §. *Expressi. de Procurat.* brevius principem loquentem refert: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur. »

104. *In regibus, et quibusdam aliis.* — Porro quæ de imperatore respectu totius imperii Romani dicta sunt, procedunt pariter de rege monarcha pro suo regno. Insuper plures alii principes, et magistratus sæculares, pro suis subditis leges ferre possunt, juxta quod propria cujusque potestas, ac jurisdictio sese

extendit, de quo specialia cujuslibet principatus, aut magistratus jura consulantur, præter ea, quæ superius n. 81. de sacri Romani imperii electoribus, et aliis a Cæsare regalia habentibus, dicta jam fuerunt.

§ V.

DE PROMULGATIONE LEGUM SIVE CONSTITUTIONUM.

105. *Ut lex obliget quoad culpam, vel quoad pœnam, requiritur ejus promulgatio.* — Quæritur I. An semper ad hoc, ut lex obliget subditos, sit necessaria ejus promulgatio? Resp. I. Ut lex obliget in conscientia, et quoad culpam, vel quoad pœnam, certum est requiri præviam ejus publicationem, seu promulgationem; sive dein hæc fiat per scripturam in publico loco affixam, sive voce præconis. Ita communis, ac præsertim Doctor subtilis in 4. dist. 3. quæst. 4. § *Ad secundum*, ubi ex hoc infert, præceptum de recipiendo baptismo in lege evangelica incœpisse obligare Jerosolymis primum in die Pentecostes, quando ibidem per Apostolos post receptum Spiritum sanctum solemniter promulgatum fuit, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia eorum, qui receperunt Verbum Dei, et baptizati sunt. *Actor.*, cap. II, 1 et seqq. Ratio est, quia lex est commune præceptum. L. 1. ff. *de Legib.* Ergo debet necessario publicari, ut innoteseat communitati, sicque ab omnibus observari possit, et econtra transgressores ejus juxta demeritum puniri valeant. Hinc can. 3, dist. 4. dicitur: «Leges instituuntur, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur.» Et alioquin ignorantia merito excusaret subditos ab observatione legis: «Cûr enim (inquit Imperator in aut. *Ut factæ novæ constitutiones.* § *Sancimus.* collat. 5.) culpabimus eos, qui positas nostras ignoraverint constitutiones?»

106. *Sive hæc fiat per scripturam, sive voce præconis. Remissive.* — Additur in conclusione, «sive dein hæc promulgatio fiat per scripturam in publico loco, sive voce præconis.» Etenim scripturam non requiri ad substantiam legis, ac voce etiam præconis sufficienter communitati denuntiari posse, satis convenit inter doctores, estque dictum supra in præmio, n. 159.

107. *Proponitur notabilis objectio, atque resolvitur.* — Objicies autem contra allatam, cæteroquin communem, et indubitam conclusionem, majoris claritatis gratia. Dantur

leges aliquæ obligantes pro tempore, quo vel necdum conditæ, vel saltem nondum publicatæ fuerunt; ergo conclusio allata non subsistit. Antecedens probatur ex cap. ult. h. t. ibi: «Cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi; nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.» Quod ipsum habetur L. 7. C. *de Legib.* ubi dicitur «leges non ad facta præterita revocari; nisi nominatim etiam de præterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis cautum sit.» Ergo, quando hoc cavetur in lege, obligant leges etiam pro præteritis factis, sicque ante suam publicationem. Id ipsum confirmatur ex constitutione 59. Sixti V. quæ incipit, *Cum frequenter*, ubi damnavit conjugia per eunuchos, et spadones, non solum contrahenda, sed etiam de facto jam contracta, eaque nulla et invalida declaravit. Accedunt regulæ Cancellariæ apostolicæ, quas singuli Romani pontifices a principio sui regiminis circa causas beneficiales, et judiciales facere solent, atque «etiam extant, licet nondum publicatæ, et suo tempore duraturas; observari volunt,» prout sonat præfatio earundem regularum Cancellariæ. Insuper declarationes cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum, quæ afferuntur in forma authentica, habent vim legis obligantis, quamvis non publicentur; et consequenter lex nondum publicata potest obligare.

108. *Leges nominatim de præteritis caventes, quomodo obligent?* — Ad hanc satis notabilem objectionem respondetur, neg. anteced. Ad cujus probationem dicitur, etiam illas leges, in quibus nominatim cavetur de præteritis, non obligare in conscientia, et quoad culpam, vel quoad pœnam (ut loquitur conclusio) ante factam earundem promulgationem: «Ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est, vetitos sustinere,» prout loquitur; atque declarando propriam mentem argumentatur pontifex in c. *Cognoscentes.* 2. h. t. Nihilominus ejusmodi leges, de præteritis expresse caventes, non carent suo effectu, atque obligatione: nam partim obligant quoad nullitatem actus in contrarium gesti, dum istum vel retractant seu cassant, vel ipso jure irritum esse declarant, ut tradit Glossa in Clém. 2. §. *Ex tunc de Hereticis.* Abbas in c. *Cognoscentes.* num. 7. h. t. et alii. Partim vero dictæ leges obligant in tantum, quod iudex circa negotia etiamnum pen-

dentia (id est, nondum sententialiter decisa) teneatur tales leges de novo conditas observare, et conformiter ipsis in causa procedere, sententiamque ferre; prout per quoscumque iudices fieri, seu judicari debere, mandavit Sixtus V. in citata constitutione, *Cum frequenter.* § 3.

109. *Regulæ Cancellariæ, licet nondum publicatæ, qua ratione obligent?* — Ad regulas Cancellariæ patet per idem: nam ante publicationem obligant solum quoad nullitatem actus in contrarium gesti, et ut ita iudices pronuntient; non quoad culpam, vel pœnam incurrendam. Lud. Engel, tit. *De præbend.*, num. 19 et alii: quibus adde dicenda inferius, num. 123. Quod attinet ad declarationes cardinalium, patet ex dictis in præmio, num. 129. 132 et seqq., cur obligent absque nova ipsarum promulgatione: quia videlicet solemnitas publicationis requiritur in legis editione, non item in legis declaratione, prout ibidem amplius ostensum fuit.

110. *Qualis promulgatio requiratur ad rationem legis?* — Quæritur II. Qualis requiratur promulgatio legis, seu constitutionis de novo edendæ? Resp. I. Ad rationem legis requiritur talis publicatio, quæ sufficit, ut ea ad notitiam totius communitatis deveniat: non tamen requiritur, ut ejus notitia singulorum auribus specialiter inculcet. Ita communis doctorum; et desumitur ex can. *Quod dicitis.* dist. 16. et can. *Qui et divinis.* 12. q. 2. atque clarius habetur cap. 1. *de Postulat. prælat.* ubi pontifex quoad propositum sic loquitur: «Non est necessarium, cum constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam,» etc. Hæc pontifex. Accedit ratio, tum quia, ut legis promulgatio singulari specialiter intimetur, regulariter est impossibile; tum quia lex est commune præceptum, ac proinde sufficit eam communitati solemniter intimari: etenim post factam semel solemnem promulgationem, hæc ipsa ad singulorum notitiam facile devenire potest; et quod vel devenerit, vel quominus hoc factum sit, per eos steterit, præsumptio est: adeo, quod eis non facile facultas credendi tribuatur; prout subjungit pontifex cit. cap. 1. § *Quod nec.* et concordat c. *Quosdam.* 7. et c. *Quando.* 8. *de Præsumpt.* Nisi forsitan probetur ignorantia rationalis, seu invincibilis.

111. *Leges imperiales debent promulgari in cujuslibet provincie metropoli. Neque obligant, nisi post lapsum duorum mensium.* — Resp. I. Loquendo de legibus imperialibus, sive a supremo imperii principe latis pro pluribus provinciis, dicendum eas non obligare nisi postquam fuerint promulgatæ in cujuslibet provincie metropoli, et insuper duo menses a die publicationis sint elapsi. Ita Navarra, consil. 1. *de Constitut.* p. 17 et 19. et alii; atque habetur expressum in Authen. «*Ut factæ novæ constitutiones.*» juncta Glossa ibidem. §. *Hujusmodi lex.* Collat. 5. quæ hoc ad omnes Imperatorum constitutiones, in quibus nihil habetur speciale expressum, extendit; eo quod rubrica ibi generaliter loquitur: «*Ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum, post duos menses valeant.*» Nam etiam rubricas esse authenticas, ac recte allegari, fusiùs jam dictum est in præmio, n. 92 et seqq.

112. *Fallit tum prius.* — Dicitur notanter, «loquendo de legibus imperialibus pro pluribus provinciis latis.» Nam secus est dicendum de statutis inferiorum principum, vel civitatum, utpote quorum jurisdictio est argustior; et quia memorata Auth. «*Ut factæ novæ constitutiones,*» etc. solum loquitur de legibus imperialibus pro pluribus provinciis latis. Unde per se loquendo, et nisi aliud in ipsamet lege præscribatur, aut de longa consuetudine fuerit observatum, statuta inferiorum principum sufficienter promulgantur una sola solemnè publicatione, facta in curia, aut præcipua civitate. Quia enim aliud lege scriptum non reperitur, non est istud temere asserendum: «*Erubescimus enim sine lege loqui,*» inquit jurisconsulti, arg. Auth. *de Tridente et semiss.* § *Consideremus.* Collat. 3. et 1. *Si vero.* § *De viro.* ff. *Soluto matrim.* cum concordantiis.

113. *Fallit tum posterius in statutis inferiorum principum, vel civitatum.* — Et similiter, si in constitutionibus inferiorum legislatorum non habeatur aliud certum tempus expressum, facta earum solemnè promulgatione statim obligant scientes; ignorantes autem, seu absentes, post tempus arbitrium, quo rationabiliter potest præsumi de ipsorum notitia, et quod post tantum tempus non debuissent constitutionem publicatam ignorare, arg. cap. 1. § *Nec obstaret.* *de Concess. præbend.* in 7. ac tenet abbas Panormit. in c. *Cognoscentes.* n. 7. h. t.; Engel, eod. n. 4. Suarez, lib. III, *de Legib.* c. XVI, n. 7. Navar-